

Ioniensi apud *Mersæum in Catalogo Episcoporum Coloniensium*,
(cit. Kornm. de Mirac. Part. II. cap. 16.) quæ pro mortua ha-
 bita & sepulta quoque, in sepulchro demum mori necesse
 habuisset, nisi furaci vespillonis avaritia, Deo rem pessimam
 ad bonum finem dirigente, liberata fuisset a mortis periculo
 præsentissimo. Nec minus memorabile est exemplum mu-
 lieris alterius Anglicanæ, cui, cum laqueo gula putaretur
 fracta, inventa est posthæc viva, Medicorum ope sanitati
 pristinæ integre restituta est, quod peculiaris ea de re editus
 testatur libellus. Plura ejusmodi in diuturna *λειποθυμία*
 constitutorum, atque ita pro mortuis falso habitorum exem-
 pla passim, partim apud Historicos partim apud Medicorum
 filios invenias licet. Verum hos, cum *λεγόμενως* tantum
 & *φαινομένως* sint mortui, ad præsentem tractationem non
 spectare facile quivis videt.

§. X. Magis videntur nostris æquales, quos Gentiles,
 & inter scriptores graves, & cæteri fide digni, Bis-Mortuos
 tradidere. Tacemur hic Eurydicen ab Orpheo reductam ex
 inferis, quam fabulam saniores etiam Gentilium non credi-
 dere, præterimus & fabulam de Glaucio Minois & Alcestide,
 quarum commentum ipse ridet *Palæphatus Lib. de Incredibil.*
Hist. cap. XXVI. & XLI. Plinius Lib. VII. cap. II. Aviola Viro
 Consulari & Cœlio Tuberone Gabieno affirmat, eos, post-
 quam mortui sunt, denuo revixisse. Paria recenset *Plato*
de Republ. Lib. X. de Phæreo quodam Pamphilicio, qui, cum
 ex morte resuscitatus esset, mira, quæ isto temporis inter-
 vallo vidisset, narraverit. *Idem Plato (cit. Orig. adversus Cel-*
sum lib. II. pag. 70. ed. Spenceri narrat, Erum Armentium post
12. dies e rogo excitum retulisse de iis, quæ sunt apud inferos,
 & pergit ibi Origenes *quadrant huc etiam illa, quæ Heraclides*
de muliere defuncta memorat. Multi, etiam alii feruntur reversi
a monumentis, vel eadem die vel in sequenti. Hactenus Origenes.
 Lectu digna sunt, quæ annotavit *Spencerus Annotat. suarum*
p. 36. 37. & in pr. 38. ubi prolixum eorum catalogum texit,
 qui a veteribus Gentilium scriptoribus post funera sua re-
 vixisse